



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 140. Quid dicendum sit de privilegiis vivæ vocis oraculo concessis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

Vilegio, uti rectè *Neusser* apud *Gob.* in *Exp. T.* §. n. 711. in appendice, nam si fit privilegium habilitativum, id est, tollens impedimentum vel difficultatem ad implendum præceptum, teneris eo uti, ut satisfacias præcepto, hinc si per privilegium privati Oratorii domi tuæ legatur Missa, teneris diebus festivis audire, licet non tenearis procurare, uti dicitur l. 3. p. 1. n. 676. Si autem privilegium fit potestativum tantum, id est, præcisè permittens aliquid, quod lex non permittit, non tenèberis eo uti, uti colligitur ex *Cap. si de terra*, de privilegiis, & ex *Reg. 61.*, Juris in 6. quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

848 §. XVII. Communicatio, quâ privilegia uni concessa, conceduntur alteri, non extenditur ad concedenda, nisi exprimatur, nam verba privilegiorum plus non operantur, quàm secundum suam proprietatem significant, uti notant *Less.* v. privilegium, *Case* 3.; quomodo autem unus possit alterius privilegium participare, explicat *Sanch.* in *Conf.* l. 6. c. 6. d. 9., & videri debent dicenda n. 854.

849 §. XVIII. Quod aliquis potest ex privilegio concessa dignitati, vel ex officio, potest alteri committere; docetque *Sa* n. 27. talia esse privilegia, quæ Prælati religionum conceduntur.

Quas pœnas incurrant, qui violant vel impugnant privilegia Regularibus concessa, videri potest apud *Arsdek* p. 3. T. 1. de opin. probab. q. 25. in fine. Item vide hic dicta n. 679.

850 Q. 140. Quid dicendum sit de privilegiis vivæ vocis oraculo concessis, R. seqq.

§. I. Vivæ vocis oraculum secundum *Suar.* de leg. l. 8. c. 7. n. 3., est privilegium à Pontifice concessum, ore prolatum, & sufficienter dictatum, ut scribi posset, per accidens autem contingit, ut non scriberetur,

retur, vel certè non literis Authenticis. Constat talia multa concessa fuisse Regularibus, quæ omnia anno 1622. die 2. Julij revocavit *Greg. XV.* per Bullam, *Romanus Pontifex.* excipit tamen illa, quæ concessa, fuerant ad instantiam Regum, aut signata erant manu alicujus Cardinalis. Anno 1624. die 19. Aprilis confirmavit *Urbanus VIII.* pro Societate *J E S U* privilegia vivæ vocis oraculo concessa, uti refert *Portell* in *Ref. mor. p. 3. c. 52.*, per quam confirmationem privilegia omnia, etiam antea per *Gregorium* abolita, restituebantur in integrum; sed idem *Urbanus* anno 1631. die 20. Decembris per Bullam *Alia felicitis recordationis*, iterum abrogavit omnia planè privilegia vivæ vocis oraculo, etiam à se ad illud usque tempus concessa, quamvis intuitu Regum, & licet à Cardinalibus subscripta essent: hac autem Bullâ comprehenduntur omnes omnino Regulares, etiam Soc. *J E S U.*

§. II. Circa hanc revocationem certa videntur sequentia, 1. non revocari privilegia vivæ vocis oraculo concessa sæcularibus, uti rectè *Gob.* in *Exper. T. 9. n. 728.* contra *Dicast.*, quia Pontifices tantum loquuntur de Regularibus, & verba in materia odiosa non sunt extendenda. 2. Ob eandem rationem dicendum, nec revocari privilegia ab aliis quàm à summis Pontificibus vivâ voce Regularibus concessa, quia Bulla tantum loquitur de privilegiis à sede Apostolica concessis. 3. Quando Papa vivâ voce declarat mentem suam circa aliquod decretum vel Bullam, talis declaratio non est concessio vivæ vocis, sed est tantum manifestatio intentionis, quam tum temporis habuit Papa, hinc talis declaratio, quamvis per eam obtineatur quasi extensio privilegii, non revocatur revocatis privilegiis vivæ vocis, uti rectè *Peyr. Gob. n. 730. Card. in 2. Crisi d. 2. n. 327.*, & ita

ita respondit de hoc consultus *Card. de Lugo*. 4. Si privilegium fit semel vivâ voce, & alio etiam tempore concessum per Bullam, non revocatur per has Bullas, sed vi Bullæ, quâ datum est, durat, uti notant *Dicast. & Gob.* n. 734.; si tamen fit per Bullam concessum; v. g. Ordini Carmelitano, & per vivam vocem aliis communicatum, putant *Turr. Peyrin. & Bordonus* per has Bullas non revocari, sed probabilius est cum *Gob.* n. 735. revocari, quamvis enim non fit eadem ratio de his, quæ est de aliis, nullibi authenticè scriptis, tamen communicatio illa est privilegium vivæ vocis tantum, & consequenter revocatum est.

852 §. III. Adhuc sunt AA, qui dicunt ex aliis fundamentis probabile esse, manere valorem privilegiorum vivæ vocis pro Regularibus; quod si probabile est, poterunt eis uti, nam in dubio, an revocatum sit privilegium, censeri debet non revocatum, quia est in possessione, & standum est pro favore: quod si fortè reipsa non subsistant ejusmodi privilegia, Ecclesia supplebit, uti probat *Carden.* à n. 160.

853 §. IV. *Chassaing* dicit manere saltem apud multos ejusmodi privilegia, quia cum *Urbanus* expressè mandet sub gravissimis pœnis, ut Bulla sua apud omnes Religiosos publicetur, videtur sequi, quod ubi talis publicatio facta non fuit, Bulla non obliget; dicit autem *Chass.* apud multos non esse publicatam; sed sententia illa est improbabilis, nam Pontifex nullo verbo insinuat publicationem requiri ad obligationem, sed mandat publicari expressè addens: *ut quantò citius innotescat*: deinde jam est publicanotitia illius apud omnes Regulares, ergo jam saltem est satis publicata, & consequenter obligat,

854 §. V. *Bonagrata* in Summula Regul. n. 419. rectè ostendit, quod vivæ vocis oracula non sicut revocata

cata respectu Capuccinorum, expressè enim declaravit *Vrbani*, in nostra revocatione non intelliguntur viva vocis Oracula vobis Capucinis concessa: hinc inferunt aliqui nec revocata esse respectu eorum qui cum Capucinis communicant, quales sunt ferè omnes Religiosi. *Contrà* est, 1. quia communicatio non habet locum in exorbitantibus, uti docèt *Tamb.* de jure Abbatum t. 1. d. 17. q. 2. aliique cum *Moya* T. I. t. 6. d. 5. q. 2. n. 11., hæc autem gratia est exorbitans & extraordinaria, concessa ex affectu speciali, quem *Vrbani* habuit erga ordinem Capuccinorum, in quo erat frater ejus, uti insinuat ipsemet *Bonagrata*. 2. Si mens *Vrbani* fuisset, ut alii in hoc communicare possent, frustra fuisset tam operosa ejus revocatio, nam omnes ferè Ordines, ut dictum est, communicant saltem mediàtè cum Capucinis. 3. Saltem hoc non juvat illos, qui sunt in Soc. JESU, quia Generalis illorum non declaravit se velle, ut in hoc communicent cum Capucinis, talis autem declaratio & facultas Generalis requiritur, uti expressè habet *Greg XIII.* in Bulla, *Ad futuram*, anno 1575. datam.

§. VI. *Lexana* apud *Gob.* suprà, itemque *Portell* 855 dicunt, si aliquis Ordo privilegiis vivâ voce datis sit usus per longum tempus, illa nunc habere vim ex consuetudine legitima & rationabili, adeoque non tolli per Bullas *Gregorii* vel *Vrbani*; quam sententiam etiam plures tuentur apud *Bonagrata* suprà: sed in contrarium est, quòd Pontifices sciverint esse usum eorum privilegiorum apud Regulares, nam *Vrbani*, sic dicit, cum experientiâ rerum magistrâ compertum sit concessiones & gratias viva vocis oraculo concessas sape ab his, in quorum favorem emanarunt, minùs Canonica interpretatione extendi & perperam in disciplina Ecclesiastica detrimentum

tum executioni mandari, idcirco &c., ergo ratione  
 usûs contrarii saltem antecedentis non potest excludi  
 Bulla *Urbani*: an autem nunc per usum continua-  
 tum & consuetudinem præscriptum sit à Regulari-  
 bus, hoc est, quod quæritur: fatetur quidem *Suar.*  
 l. 8. c. 7. per usum & consuetudinem acquiri posse  
 privilegium, sed difficile est dicere ea omnia hic esse,  
 quæ ad sic præscribendum requiruntur.

856

§. VII. Refert *Dian.* p. II. T. 6. R. 45., quod  
*Pius V.* anno 1567. die 16. Maji per Bullam confir-  
 met ex certa scientia omnia Mendicantium privile-  
 gia, etiam vivæ vocis Oraculo concessa: iisdem ferè  
 verbis confirmant privilegia Minorum *Greg. XIII.*  
 die primâ Maji 1575. *Sixtus V.* 3. Oct. 1587. *Cle-*  
*mens VIII.* 20. Dec. 1597., qui sic habet, omnia  
 & singula privilegia, immunitates &c., in genere  
 vel in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ  
 vocis oraculo aut aliâ sub quacunque forma & ex-  
 pressionem verborum concessa, & in eis contenta, ille-  
 rum omnium tenores ac formas & decreta, ac si de  
 verbo ad verbum insererentur presentibus, pro  
 sufficienter expressis habentes, Auctoritate Apo-  
 stolicâ, tenore presentium ex certa scientia confir-  
 mamus & innovamus, illisque frui, uti & gaudere  
 posse ac debere in iudicio & extra, in omnibus &  
 per omnia, ac si specialiter & expressè eisdem per  
 nos concessa fuissent, decernimus, suppletes omnes  
 juris & facti defectus: Similiter *Paulus V.* 23. Maji  
 1605. confirmavit privilegia Dominicanorum:  
*Greg. XIV.* 8. Junii 1591. confirmat privilegia  
 Soc. *J S E U*, qualiacunque sint, ac si ad verbum pre-  
 sentibus insererentur: Iterum *Clemens VIII.* duabus  
 Bullis, annis 1592. & 1593. confirmat similiter Privile-  
 gia Benedictinorum: iterum *Paulus V.* anno 1606.  
 confirmans Societatis Institutum, ait, nec non pri-  
 vilegia

*privilegia, facultates, gratias, & indulta qualiacun-*  
*que illa sint, approbamus & confirmamus: similiter*  
 confirmat privilegia Carmelitarum Discalceatorum:  
 ex his Auctores ad minimum 13. apud *Carden.* n.  
 314. & alii recentiores apud *Ills.* t. 1. d. 3. n. 69. &  
 apud *Gob.* n. 736. & 737. inferunt, omnia vivæ vo-  
 cis oracula ante hos Pontifices data illis Ordinibus  
 aliisque communicantibus cum ipsis, vim habere ex  
 his Bullis, & esse æquivalenter ac implicite bullata,  
 adeoque revocata non esse per *Greg. XV.* vel *Vr-*  
*banum VIII.*; hoc ipsum judicârunt alii viri docti &  
 faverque *Escobar* in *Theol. Moral. T. 1. l. 6. n. 195.* &  
*Dicast.* de pœn. d. 10. n. 327. , postea tamen quasi  
 abstrahere volens addit, sed quidquid sit de his &c.  
*Gob.* post multa utrimque disputata n. 738. subjun-  
 git sibi adhuc probari doctrinam aliis Sapientissimis  
 viris etiam probatam, videlicet tunc non esse solius  
 vivæ vocis Oracula, sed censerî bullata, quando sunt  
 data alicui Communitati, cujus omnia privilegia  
 data & danda confirmavit ex certa scientia aliquis  
 Pontifex per Bullam, Breve vel Motum proprium,  
 adeo ut hæc sententia ab extrinseco saltem videatur  
 probabilis: *Ratio* autem intrinseca est, quia privi-  
 legia vivæ vocis, quæ per *Gregorium & Urbanum*  
 revocantur, sunt privilegia non scripta seu non bul-  
 lata, sed privilegia per Bullas in genere confirmata,  
 dici non debent non scripta vel non bullata, ergo  
 hæc non revocantur; *Prob. Min.*, sunt scripta æ-  
 quivalenter & implicite bullata, quia Pontifices di-  
 cunt, atque si de verbo ad verbum insererentur, ergo  
 absolute dici non debent non scripta & non bullata,  
 aut probari debet evidenter, quòd *Gregorius & Vr-*  
*banus*, quando revocarunt, intellexerint etiam scri-  
 pta æquivalenter & implicite bullata, alioquin ju-  
 dicandum est in favorem ipsorum, quia possident,

nec verba in odiosis extendenda, ita illi. *Huic sententia* contradicunt alii communiùs, nempe *Dian. & Escob.* suprà, *Mendo* d. 8. n. 15. *Lugo* in Resp. Mor. l. 4. d. 33. n. 2., post omnes acerrimè *Cardenas* à n. 315. & *Ills.* n. 70. censet improbabilem: Horum ratio reducitur ad hanc formam, privilegia illa revocantur, quæ non sunt scripta expressè & singulatim in literis Apostolicis, sed oracula vivæ vocis, quæ tantùm in genere confirmantur, non sunt scripta expressè & singulatim in literis Apostolicis, ergo. *Major* probatur, mens *Gregorii & Urbani* fuit revocare has confirmationes generales Antecessorum suorum, & non probare alia, quàm expressè & singulatim scripta in literis Apostolicis, nam *I. Urbanus* dicit causam revocationis esse hanc, quòd compertum sit sæpe minùs Canonicâ interpretatione extendi, ergo mens Pontificis est, ut per literas Apostolicas constet de ipsis terminis concessionis, alioqui impediri non poterat illa extensio & minùs Canonica interpretatio, sed per generales confirmationes planè nil constat de terminis concessionis, manentque privilegia apra extendi per unicujusque interpretationem, ergo mens Pontificis fuit revocare confirmationes generales non habentes expressè & singulatim verba concessionum. 2. Uterque Pontifex dicit se revocare omnia vivæ vocis oracula quomodocunque concessa, & non obstantibus Constitutionibus omnibus & literis Apostolicis, quæ tali revocationi possent obstare, sed literæ Apostolicæ sic in genere confirmantes, poterant tali revocationi obstare, ergo revocant illa quamvis in genere confirmata per literas Apostolicas. *Ratio* ulterior est, quia hæ Bullæ generaliter confirmantes relinquunt ea privilegia esse in sua natura vivæ vocis oracula, quia non faciunt ea esse

ullibi

ullibi scripta in literis Apostolicis, ergo relinquunt  
 subjecta huic revocationi. Idem inde evincitur, quia  
 si subsisteret allata opinio, frustra fuissent Bullæ  
*Gregorii & Urbani*, nam præcedentes Pontifices  
 non diu antè generaliter per Bullas approbarant  
 Religiosorum privilegia etiam vivâ voce data, ergo  
 omnia vi harum bullarum facta fuissent bullata, er-  
 go per operosas illas *Gregorii & Urbani* Bullas for-  
 tè nulla aut perpauca revocarentur.

§. VIII. Urgent aliqui, quòd *Pius V.* per Bul- 857  
 lam confirmavit irrevocabiliter omnia privilegia  
 quomodocunque data Mendicantibus; addens non  
 posse revocari etiam per Sedem Apostolicam; quòd  
 si revocentur, dat Generalibus Ordinum facultatem  
 ea statim resuscitandi sub novo dato, ac si concessa  
 essent post revocationem. *Hac instantia* nullam vim  
 habet, nam *Pius V.* potuit hoc ipsum revocare,  
 quod sic concesserat, si postea suborta fuisset justa  
 causa revocandi, ergo stante justâ causâ etiam po-  
 tuerunt *Gregorius & Urbanus*, quia habuerunt  
 æqualem potestatem, sed fuit justâ causâ, uti ipsi te-  
 stantur, & revocare voluerunt, cùm dicant se revo-  
 care, non obstantibus quibuscunque Constitutioni-  
 bus Apostolicis, ergo. Itaque privilegia Mendicanti-  
 um non possunt revocari de potestate ordinaria, pos-  
 sunt tamen de plenitudine potestatis & ex certa scien-  
 tia, quibus se hinc uti dicunt *Gregorius & Urbanus*.

§. IX. Alii opponunt, privilegia Mendicantium esse 858  
 remuneratoria, Pontifices enim dicunt se concedere  
 ob magna merita, sed privilegia remuneratoria non  
 possunt revocari etiam de plenitudine potestatis, nisi  
 fiat compensatio, uti dictum est n. 843. ergo. *Contrà*  
 est, si sint remuneratoria ex solo debito congruentiæ  
 vel gratitudinis, uti hæc sunt, semper revocari pos-  
 sunt, quando expedit ad bonum commune, imò

eorum concessio imbibit hanc tacitam conditionem, quamdiu expediet bono publico, ergo si per circumstantiam abusus, qualem hic fuisse testantur Pontifices, non amplius expediat bono publico, revocari possunt, etiam sine ulla compensatione, uti pluribus ostendit *Carde.* à n. 350.

859 §. X. Dicunt alii, Cassinenses habere speciale privilegium *Eugenii IV.*, propter quod non possunt eorum privilegia revocari, nec censeatur derogari, nisi adhibeatur specialis forma in eadem Constitutione præscripta, hinc solvant ipsi Camera Apostolicæ annum censum pro manutentione suorum privilegiorum, hinc quotannis censentur confirmari, & ex contractu oneroso manere in suo vigore, ac consequenter etiam pro aliis Ordinibus, qui communicant cum illis, ita *Pasq.* de Sacrif. q. 803. n. 33. *Sed* contrà sunt illa, quæ adduximus n. 854.

860 §. XI. Ad illud, quod n. 852. dicebatur, in dubio standum esse pro valore privilegiorum, *Responsdet Cardenas* non esse amplius prudens dubium, sed sententiam suam, quâ asserit revocata esse illa privilegia, certam esse ex principiis intrinsecis; & licet opposita sententia sit extrinsecè probabilis, tamen illicitum est operari ex sententia extrinsecè tantum probabilis, uti n. 369. dictum est, neque Ecclesia supplet, nisi opinio à Doctoribus communiter recipiatur tantquam verè probabilis, uti pluribus firmat à n. 372.

861 §. XII. Quod attinet ad revocationem oraculorum vivæ vocis, quæ concernunt Indulgentias, magni Doctores, inquit *Gob.* n. 730. *Escobar* n. 199. cum *Peyrinis* & *Bordono*, quorum sententiam probabilem censet *Lexana*, putant hæc non revocari, quia applicatio Indulgentiarum non est propriè privilegium: *Sed* oppositum suadent verba Pontificum, nam *Greg.* dicit se revocare omnia & singula indul-

ta, facultates, privilegia, gratias & concessiones quas-  
cunque Spirituales & Ecclesiasticas, tam ad forum  
interius quàm exterius spectantes: *Urbanus* addit, om-  
nia & singula privilegia, facultates, Licentias &  
& gratias quascunque, simulque repetit totam Bul-  
lam *Gregorii*, videtur verò indulgentia contineri  
nomine gratiæ & concessionis Spiritualis: idem col-  
ligitur ex titulo utriusque Bullæ, nam Gregoriana  
habet, *Constitutio, quæ revocat concessiones quas-*  
*cunque viva vocis &c.* *Urbanus* autem, *Constitutio,*  
*quæ revocat omnia viva vocis oracula &c.* Quod at-  
tinet Indulgentias illas post visitationem Collegio-  
rum in Soc. JESU, censuit ac publicè edixit vir Exi-  
mius & Provincialis, se inquisivisse Romæ, & respon-  
sum esse, quòd *Urbanus* interrogatus declaraverit se  
Indulgentias illas non revocare, quamvis alioqui vi-  
væ tantùm voce datas, unde dicendum est adhuc va-  
lere. Videri potest *Ills.* à n. 71.

§. XIII. Vivæ vocis oracula impressa in antiquo 862  
compendio Privilegiorum Soc. JESU personis pri-  
vatis concessa sine Bulla, sunt sequentia, verbo *Abs-*  
*olutio* §. 2. 3. 4. 5. 7. *Apostata* §. 1. *Bulla cana* §. 2.  
*Communicatio* §. 3. 5. *Commutatio* §. 2. *gratiarum*  
*usus* §. 2. *Indulgentia* §. 1. *Reliquia Visitantes.*

Vivæ vocis Oracula ex participatione aliorum  
Ordinum, non bullata, verbo *Absolutio* §. 8. 9.  
*Communicatio gratiarum* §. 7. *Concilium Trid.* §. 3.  
*Dispensatio* §. 3. 8. 9. *Ecclesia* §. 4. *Extrema Unctio.*  
*Familiaris* §. 3. 4. *Horæ Canonica* §. 4. *Ieiunium.*  
§. 2. quoad illam partem, *easdem indulgentias*  
&c. *Item* §. 7. 10. 11. 17. 21. 26. 28. 29. *Scrupuli* §. 2.

Privilegia, de quibus ignoratur, quomodo sint con-  
cessa, verbo *Absolutio* §. 10. *Alienatio* §. 5. *Apostata*  
§. 10. *Appellatio* §. 5. quoad eam partem, & per privi-  
legiū Concessum *Cisterciensibus.* *Benedictio* §. 3. *Bona*

*Societatis* §. 5. *Conservatores* §. 9. *Dispensatio* §. 4. 6. 7. quoad illam partem, per concessionem *Eugenii*. *Exceptio* §. 11. 12. *Familiares* §. 1. quo ad eam partem, & per Concessionem *Martini V.* item §. 2. 5. *Hora Canonica* §. 2. *Ieiunium* §. 1. *Indulgentia* §. 2. quoad ultimam partem, & generaliter quando aliqua necessitate &c. item §. 8. 13. 14. 15. 18. 19. 20. *Infirmi* §. 2. 3. *Interdictum* §. 4. 5. *Praelati* §. 3. *Privilegia* §. 1. quo ad secundam partem, quin verò &c. item §. 5. 6. 10. *Sacra* §. 1. 2. *Societas IESU* §. 2. quoad primam partem concessionis factæ *Benedictinis*.

Privilegia à *Clemente VIII.* concessa & subscripta à *Cardinali Toletò*, 1. Ne in singulis domibus præter *Confessarium ordinarium* teneantur domus *Societatis IESU* deputare duos vel plures *Confessarios*, qui à reservatis absolvant: 2. Ut cum prohibentur *Superiores* audire subditorum *Confessiones*, non intelligantur, qui sunt *Magistri Novitiorum*: 3. Ne iudicium absolvendi à reservatis univèrsim *Confessariis* committatur, sed liceat interdum *Superiori* pro ratione sui officii huiusmodi facultatem negare. Hæc si à *Toletò* tantum subscripta sint, non sunt quidem revocata per *Gregorium*, sunt tamen revocata per *Urbanum*; nisi iterum præscripserit usus.

Hæc sunt, quæ in utramque partem invenire potui, de quibus relinquo iudicium prudentioribus. *Communis sententia cum Carden. Ills. Diana p. II. t. 6. R. 45.* tenet esse revocata.

363 Q. 141. *An cessante fine legis in aliquo particulari, etiam pro hoc particulari cesset obligatio legis, v. g. lex prohibet die Veneris carnes, ut sic maceretur corpus, an ille, qui magis delectatur & melius nutritur piscibus quàm carne, possit die Veneris carnes comedere: Item, si lex præcipiat noctu manere domi*